

quicquid illud sit, de merito de congruo illud declarant. Ratione declaratur breviter ex dictis, quia de habituali gratiæ vel augmento ejus eadem ratio est quæ de gloria; tum quia et gloria respondet gratiæ, et non acceptatur quis ad gloriam, vel majorem gloriam, nisi per infusionem vel augmentum gratiæ, et ideo nemo meretur etiam sibi augmentum gloriæ, nisi merendo gratiæ augmentum, quæ omnia in l. 9, cap. 2, ostensa sunt. Unde etiam e contrario non potest sibi mereri gratiam, vel augmentum ejus, quin simili modo gloriam mereatur. Ergo multo magis respectu alterius non potest quisquam ei mereri gratiam, cui non potest mereri gloriam. Hæc autem ratio, quæ immediate de gratiæ sanctificante procedit, consequenter idem probat de charitate, quæ eandem omnino proportionem servat cum gratiæ, et consequenter de aliis virtutibus et donis per se connexis cum charitate et gratiæ, ut in eodem lib. 9, c. 4, declaratum est. Ulterius vero idem dicendum est de habitibus fidei et spei; non enim potest unus justus alteri mereri, ut habitus fidei ejus augeatur sine actu fidei vel proprio merito alterius, quia, licet illi habitus non sint ita connexi cum gratiæ, quin sint separabiles ab illa, nihilominus pertinent ad substantialem justitiam, et bonam suscipientis dispositionem postulant, ideoque eadem est de illis ratio. Neque etiam potest unus justus alteri mereri de condigno auxilia gratiæ, quia hæc non dantur nisi in ordine ad vitæ æternæ consecutionem, et ideo qui non potest alteri illum finem de condigno mereri, nec media ad illum finem eidem mereri potest. Ac denique eadem ratione non potest quis mereri alteri de condigno accidentalem gloriam, quia hæc non datur nisi ut proprietas consequens gloriam essentialem, et ideo supponit meritum ejus, ut supra in simili argumentatus sum.

10. *Ratio facta n. 7, ad præsens institutum applicatur.* — Ultimo habet hic locum principalis ratio supra facta, quod ad omne meritum de condigno necessaria est divina lex, quæ unum, tanquam meritum, ad aliud tanquam præmium ordinaverit; in præsentem autem nulla est talis ordinatio divina, neque ostendi potest.

11. *An procedat prædicta assertio etiam de potentia absoluta? et affirmant aliqui.* — Secundum dubium est, an id, quod diximus, unum justum non posse mereri alteri de condigno, verum sit tantum de potentia ordinaria, vel etiam de absoluta. Aliqui enim mo-

derni negant hoc fieri posse etiam de potentia absoluta propter fundamentum supra tactum, quod meritum de condigno non pendet ex ordinatione divina, sed ex intrinseca dignitate operis, quam Deus sola sua voluntate supplere non potest, si actui secundum se spectato non insit; sed actus unius justus non habet condignitatem, et proportionem cum præmio, præsertim gloriæ vel gratiæ, alterius; ergo. Confirmari hoc potest illa congruentia, quod tale meritum esset repugnans ordini charitatis; quod autem hujusmodi est etiam repugnat ordinationi divinæ; nam quæ a Deo sunt, ordinatissima sunt. Assumptum declaratur, nam in casu illo de potentia absoluta, vel Deus statueret ut homo eodem actu sibi mereretur adæquatam præmium, et simul mereretur alteri, et hoc esset supra dignitatem operis, et sic non esset de condigno; vel statueret ut homo alteri posset dare præmium suorum operum, et seipsum illo privare, et hoc esset contra ordinem charitatis, et rectam rationem.

12. *Vera responsio.* — Nihilominus resolve potuisse Deum, si vellet, hanc rationem merendi de condigno inter homines instituire, et dare uni dignitatem, et vires gratiæ sufficientes ad merendum alteri gratiam, et gloriam, et remissionem peccatorum de condigno. Hæc tractatur latius in tertia parte, quæstione prima, articulo secundo, ubi disput. quinta, sectione septima, id docui, et divi Thomæ et antiquorum Theologorum doctrinam esse ostendi, quos nunc propterea omitto. Idem sequuntur moderni expositores divi Thomæ, ad illum art. 6, quæst. 114. Sic enim sentit Medina, dub. 8, cum ait in homine justo inveniri dignitatem operantis, et proportionem operis cum præmio, deesse autem divinam ordinationem respectu alterius. Nam ex hoc principio sequitur evidenter resolutio posita, quam in 3 art. idem auctor tradiderat. Item Cumelius, dicto art. 7, § *Divi in superioribus*, ubi æquiparat illud meritum condignum de potentia absoluta cum merito, quo nunc unusquisque sibi meretur. Idem tenet Lorca, dicto art. 6, dicens non magis excedere valorem operum gratiæ gloriam alterius, quam gloriam operantis. Idem Valentia, dicto punct. ult., qui etiam addit potuisse Christum de potentia absoluta mereri hominibus gratiam et modum quo unus posset alteri de condigno mereri.

13. *Ejus ratio.* — Fundamentum hujus resolutionis in dictis circa rationem secun-

dam continetur, scilicet, quod nec ex parte personæ merentis, nec ex parte operum ejus invenitur defectus proportionis, aut condignitatis, sed solius tantum ordinis connaturalis, quem facile potest Deus sua ordinatione supplere. Unde ex hac parte non invenitur repugnantia, ut dixi. Et licet sola extrinseca voluntas Dei non det operi dignitatem, nihilominus opus ex se dignum potest ad hoc vel illud præmium, connaturalem habens proportionem, vel omnino extrinsecum, dummodo non excedat valorem operis, pro suo arbitrio ordinare, imo etiam posset opus quantumvis de se dignum ad nullum præmium ordinare, ut in sequentibus capitibus videbimus. Neque etiam est repugnantia ex parte alterius, cui dandum est præmium. Nam si ille sit justus, facile posset alter illi mereri augmentum gratiæ, quod posset Deus illi conferre sine propria dispositione per actum proprium, quia, licet hic modus augmenti gratiæ congruentior videatur, posset Deus illum non observare secundum aliud consilium voluntatis suæ; vel etiam posset non reddere illud præmium usque ad statum gloriæ, ubi nova dispositio non postulatur. Si autem ille alter, cui justus meretur, esset in peccato mortali (ut originale omittam), non posset sine novo miraculo unus mereri primam gratiam, nisi merendo ei simul dispositionem ad illam, et ad remissionem peccati; posset autem facile etiam ad talem dispositionem meritum ordinare, si Deus vellet. Vel cum de potentia absoluta possit Deus remittere peccatum per infusionem habitus, sine actuali dispositione peccatoris, etiam posset ad hunc modum remissionis sub conditione meriti alterius se obligare. Nec denique ex ordine charitatis, vel ex aliqua alia indecentia, quæ in tali institutione invenitur, ulla repugnantia recte cogitatur; nam imprimis posset Deus alicui homini excellentem aliquem gradum gratiæ conferre gratis, et sine illius merito, prædestinando illum ad tantam gratiam, et non majorem, et obligare illum ad merendum aliis. In hac vero institutione, nihil est ex parte Dei quod non deceat bonitatem ejus et justitiam, nec ex parte hominis esset aliqua inordinatio, quia ipse supponitur jam esse gratus Deo, quantum Deus voluit et ordinavit; ergo nihil præter charitatem propriam, et multum juxta proximi charitatem ageret pro aliis merendo. Simili modo posset Deus homini præfigere certum tempus ad merendum pro se, et aliud

postea concedere ad merendum pro aliis. Imo etiam (licet difficilius appareat), postquam justificavit hominem, liberam facultatem illi facere, vel merendi sibi augmentum gratiæ et gloriæ, vel merendi aliis, et tunc, licet talis homo merendo aliis, et privando se illo augmento, nimis liberaliter ageret, non tamen peccaret; tum quia non tenetur quis semper suis operibus in gratiæ crescere; tum etiam quia in casu supponitur divina facultas, seu licentia sic operandi; ergo tale opus esset vere meritorium alteri, quia nulla interveniret malitia, quæ illud impediret. Ex his ergo omnibus concluditur communis ratio in his quæstionibus de potentia absoluta, quia ubi non ostenditur implicatio contradictionis, neque aliud repugnans rebus ipsis, vel divinæ Sapientiæ, aut aliis attributis Dei, non est negandum fieri posse a Deo, ut ex ipsius omnipotentia evidens est; sed in hoc opere, de quo tractamus, nec implicatio, nec talis repugnantia invenitur, ut discursu facto ostensum est; ergo sine dubio potest a Deo fieri, et rationibus in contrarium factis n. 11 satis responsum est.

CAPUT XVII.

UTRUM DIVINA ORDINATIO ET QUASI LEX POSITIVA DEI SIT AD MERITUM DE CONDIGNO NECESSARIA?

1. *Ordinatio et promissio non idem.* — Explicatis conditionibus ad meritum necessariis ex parte operum et personæ, vel personarum merentium, et quibus meretur, superest explicandum quid ex parte Dei, apud quem, et a quo meremur, necessarium sit ut nostra opera habeant vim et efficaciam meriti de condigno. Duo autem tantum possunt in præsentem cogitari. Unum est ordinatio, seu institutio divina, qua voluerit tale opus ad tale præmium ordinare. Aliud est divina promissio, qua se obligaverit ad dandum tale præmium sic operanti. Imo Theologi vix inter hæc distinguunt, ideoque sub una quæstione utrumque concludunt, tamen in rigore diversa sunt; nam posset esse ordinatio sine promissione, statuendo condiciones sufficientes ad meritum, et nihilominus non se obligando ad dandum præmium, sed liberalitati suæ hoc reservando, quamvis e contrario non possit esse promissio præmii sine prævia ordinatione meriti, si ad substantiam ejus necessaria est; et ideo ad majorem claritatem

visum est de illis duabus conditionibus distincte dicere, incipiendo ab illa quæ naturæ ordine, seu in subsistendi consequentia, prior est, ut declaravi.

2. *Prima opinio requirens Dei ordinationem ad meritum.* — *Positæ opinionis sensus duplex.* — In quæstione ergo proposita, duæ videntur esse sententiæ extreme contrariæ. Prima est, nullam operis perfectionem, vel personæ creatæ dignitatem, etiam gratiæ et sanctitatis, ad meritum de condigno sufficere, nisi divina ordinatio talis operis ad tale præmium intercedat. Ita sentit Scotus in 3, d. 18, quæst. unic., § *In ista quæstione*, ubi hac ratione definit meritum per ordinem ad acceptationem, dicens, *esse aliquid acceptatum vel acceptandum, pro quo ab acceptante est aliquid retribuendum*, etc. Et postea subdit in Deo nihil esse acceptandum quod non sit acceptatum, et ideo definiendo meritum apud Deum, satis esse dicere, *esse aliquid acceptatum*, etc. Acceptatio autem Dei libera est, et ordinationem ejus requirit. Idem docuerat in 1, d. 17, quæst. 2, in fine art. 1, § *Sed tunc est ulterius*, etc., cum his, quæ docet art. 2; et sequuntur ibi Ocham, q. 2; Gregorius, q., art. 2; et Gabriel, q. 5, art. 3, dub. 2, et in 2, d. 26, q. unic., per totam; et Durandus, in 1, d. 17, q. 2, n. 13, et in 2, d. 27, q. 2, n. 12, et in 3, d. 20, q. 1 et 2; Marsil., in 2, q. 18, art. 4; Supplem. Gabr., in 4, d. 49, q. 4, art. 2; Castro, contr. hæres., verb. *Meritum*; Vega, q. 5 de Justificat., ad 1 et 3. Ex his vero auctoribus, antiquiores non solum putant esse necessariam ad meritum apud Deum ipsius ordinationem, sed etiam illam sufficere ut opus fiat meritum, si alioqui sit opus liberum et laudabile. Alii vero aliquid amplius requirunt ex parte operis, nihil autem sufficere putant sine prædicta ordinatione. Et in hoc posteriori sensu videbimus infra hujus sententiæ fundamenta.

3. *Prioris sensus fundamentum.* — *Exemplis.* — *Statuitur ratione.* — In priori autem sensu, fundamentum est quia opera non tantum habent vel habere possunt moralem valorem ex natura sua, seu ex conditionibus sibi intrinsicis, sed etiam ex impositione principis; ergo multo magis poterunt opera hominis habere valorem ex impositione Dei, quæ illis adjungitur, eo ipso quod ad tale præmium ordinantur, et ad illum acceptabilia redduntur. Antecedens patet exemplis humanis, nam moneta accipit valorem ex impositione principis, etiamsi sit ultra qualitatem

seu æstimationem materiæ per se spectatæ. Item in certamine, eo ipso quod bravium proponitur pro vincibus in cursu, quantumvis pretiosum sit bravium, in velocissimo cursu est sufficiens meritum ejus, quamvis cursus per se spectatus, et secluso certamine, non esset tanta mercede dignus; accrescit ergo illi valor ex impositione, seu extrinseca ordinatione. Et ratio reddi potest, quia iste valor non est aliquid physicum et reale quod inhæreat actui, sed est quid morale consistens in humana æstimatione, quæ circumstantiis extrinsecis sæpe augetur; ergo maxime augeri potest ex divina impositione. Atque hinc etiam colligunt dicti auctores, præsertim Durandus, necessitatem hujus divinæ ordinationis, quia sine illa non putant opera hominis posse habere valorem ad præmium gloriæ sufficientem, et ad hoc inducunt illud Pauli ad Rom. 6: *Existimo quod non sunt condignæ passionibus hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis*; intelligi enim oportet non esse condignas per se spectatas, et nisi Deus illas acceptare voluisset, et ordinasset.

4. *Secunda opinio non requirens dictam ordinationem.* — *Vide Cajetanum tom. 3 Opuscul. opusc. 10, c. 6.* — Secunda sententia est extreme contraria, nimirum, supposita divina gratia, sanctificante personam, et juvante ad supernaturalia opera perficienda, non esse necessariam aliam divinam ordinationem extrinsecam Dei, quasi positiva lege superadditam. Ita sentit Cajetanus 1. 2, q. 114, art. 3, ubi opinionem Scoti improbat, dicitque actum meritorium ordinari quidem ad præmium, non per superadditam ordinationem, sed per ipsam gratiam; et hanc sententiam sequitur Soto, l. 3 de Natur. et grat., c. 7; fortasse tamen in alio sensu locuti sunt, ut capite sequenti attingam, alia ipsorum testimonia referendo. Fundamentum est, quia gratia ex natura sua est ordinata ad beatitudinem supernaturalem; ergo opera, quæ ex illa nascuntur, ex natura sua habent eundem ordinem cum debita proportione et condignitate; ergo non indigent aliqua extrinseca ordinatione.

5. *Imo reputans inutilem, et cur.* — Imo addunt aliqui non solum non esse necessariam hanc ordinationem, sed etiam esse inutilem, quia per se nihil potest actui ad meritum conferre, neque etiam potest efficere ut actus, qui non esset meritorius de condigno alicujus præmii, propter solam divinam or-

dinationem illud mereatur, quia intrinseca ordinatio nihil dignitatis addit actui, quia non est circumstantia ejus, et actus totum suum valorem et dignitatem ex objecto et circumstantiis desumit; ergo ordinatio extrinseca facere non potest ut actus sit meritorius, si ex se id non habeat, neque magis meritorius quam ex se postulet, quia meritum ex valore et dignitate actus condignitatem habet. Ergo non est cur sit necessaria ad meritum talis ordinatio. Ex quo ulterius concludunt, quamvis potuerit Deus non dare visionem beatam, etiam bene operanti ex gratia, nihilominus non potuisse facere quin illam de condigno mereretur, quia, supposita gratia, et qualitate operis, dignitas præmii necessario inest operi, sive, propter liberam voluntatem extrinseci agentis, dandum, sive negandum sit præmium. Sicut enim operans est dignus laude ratione operis boni, etiamsi nunquam laudandus sit, ita etiam est dignus præmio, etiamsi nunquam præmium recepturus sit. Et explicatur tota hæc opinio ex contrario, nam oppositorum eadem est proportionalis ratio; at vero opus malum, ut sit meritorium pœnæ, non eget ordinatione extrinseca; non enim est dignum pœna, quia ordinatur ad illam, sed potius, quia dignum est pœna, ordinatur ad illam. Et quamvis nunquam ordinaretur, æque esset pœna dignum ratione suæ malitiæ; ergo idem dicendum est de merito boni operis.

6. *Assertio prima.* — *Probatur.* — In hoc puncto vitanda censeo extrema, et aliquid in utraque sententia verum esse, ex quo simul sumpto media et vera sententia consurgit. Dico ergo primo, ad meritum de condigno, primum omnium in opere requiri fundamentum condignitatis et proportionis cum præmio, et hanc proportionem ac dignitatem nunc habere opera justorum, eo ipso quod talia sunt, et a gratia procedunt, non ex ordinatione extrinseca, sed ex natura sua. In hoc sequimur secundam sententiam, quam etiam sequuntur Bellarminus, Vega, et alii supra allegati, defendentes verum meritum de condigno contra hujus temporis hæreticos. Et explicari potest imprimis ex his, quæ l. 8 diximus, quod gratia natura sua habet pro ultimo fine visionem Dei claram, nam hinc optime sequitur quod bona opera ab ipsa procedentia habeant connaturalem habitudinem, et proportionem ad eandem vitam æternam, ac proinde quod ex se habeant dignitatem proportionis cum illo præmio, ut

in principio hujus libri etiam notatum est, quia medium proportionatum ad consequendum aliquem finem, si morale sit, etiam est moraliter dignum illo fine. Quod etiam a simili explicavi ex bonis operibus naturalibus factis ab homine in pura natura creato, et sine peccato existenti, nam talis homo per talia opera condigne tenderet in beatitudinem naturalem, quæ est finis naturaliter proportionatus tali naturæ; eadem ergo proportio est in operibus gratiæ respectu beatitudinis supernaturalis. Quod autem hæc intrinseca dignitas et proportio supponenda necessario sit ad meritum de condigno, probant sufficienter fundamenta ejusdem secundæ sententiæ. Quia revera licet Deus decrevisset dare gloriam propter opus infimum, et de se omnino improporionatum ad tale præmium, illa potius esset libera donatio, quam retributio pro condigno merito. Nam etiam nunc Deus ordinavit contritionem peccatoris ad dandam illi primam gratiam, et remissionem peccati, imo promisit illam pœnitentiam agenti, et nihilominus peccator non meretur de condigno primam gratiam, et remissionem peccati, ut infra videbimus, nec potest alia ratio reddi, nisi quia in tali opere, ut fit a tali persona, sufficiens proportio et condignitas non invenitur. Denique ipsamet vox, seu differentia ultima meriti de condigno per se postulat æqualitatem aliquam inter opus meritorium et præmium, et in hoc distinguitur tale meritum ab omni alio imperfecto merito, quod illud gradum perfectionis non attingit, neque illa imperfectio potest per solam extrinsecam ordinationem suppleri, ut recte probatum est.

7. *Assertio secunda.* — *Præmium intrinsecum, vel extrinsecum.* — Dico secundo: etiamsi in operibus dignitas et proportio supponatur, nihilominus, ut sint actualiter meritoria de condigno talis præmii, necessaria est divina ordinatio, per quam gloria, verbi gratia, proposita sit ut præmium per talia opera consequendum, et qua statuerit Deus talia opera in meritum talis gloriæ acceptare. In hac assertione sequimur primam sententiam, et a fortiori probabitur latius ex dicendis in cap. sequenti. Nunc autem declaratur breviter, distinguendo duplex præmium, cum quo meritorium opus habere potest sufficientem proportionem, et condignitatem; unum extrinsecum, aliud intrinsecum appellari potest, juxta duplicem habitudinem, quæ inter opus, quod est meritum, et rem, quæ est præ-

mium, intervenire potest. Una habitudo est solius proportionis æqualitatis, quæ potest inter duas res reperiri, sine alia naturali connexione inter ipsas. Altera habitudo est naturalis connexionis unius cum alia, seu ordinis unius ad aliam præter proportionem æqualitatis. Ex quibus habitudinibus prima est necessaria ad meritum de condigno, ut in præcedenti assertione probatum est; secunda vero non est ita necessaria, saltem de potentia absoluta, ut in fine capituli præcedentis probatum est. Quando vero opus meriti et præmium ita se habent, ut præter æqualitatis proportionem, aliam connexionem non habeant, præmium dici potest extrinsecum, et ideo in illo evidens est hæc secunda assertio, quia cum illa duo ex natura rei non habeant ordinem medii ad finem, vel alium similem, ut possint in ratione præmii et meriti comparari, necessaria est ordinatio extrinseca, qua unum tanquam præmium alterius constituatur, ut in gloria unius respectu meriti alterius superiori capite dictum est. Præmium ergo intrinsecum appellamus, quando inter opus ipsum et præmium non solum est æqualitas moralis, sed etiam naturalis connexio, quia unum ad aliud ex natura sua ordinatur, et tale est meritum nostrum apud Deum, secundum ordinariam legem, et rebus ipsis, et perfectioni meriti magis consentaneam. Et ideo in tali merito majorem difficultatem habet assertio, quia cum ibi inveniatur intrinsecus ordo, non videtur necessaria extrinseca ordinatio. Propter quod aliqui dixerunt, ordinationem extrinsecam, licet interdum necessaria sit, non tamen esse merito essentialem.

8. *Probatur quoque de præmio intrinseco; primo, ratione.* — Nihilominus etiam in hoc merito et præmio conclusionem et necessitatem dictæ ordinationis intelligimus. Et probamus primo, quia de facto intervenit hæc ordinatio divina in nostris meritis apud Deum; ergo signum est esse necessariam ad propriam et perfectam rationem meriti, quia Deus, suaviter et sapienter omnia providens, non addit ea, quæ necessaria non sunt. Antecedens autem sumo ex illa antiqua sententia Cœlestini Papæ, epistol. 1, cap. 12; et Augustini, epistol. 105; et inter opera Chrysostomi, hom. de Adam et Eva, tom. 1, scilicet, *tantam esse misericordiam Dei, ut nostra voluerit esse merita, quæ sunt dona sua, quam sententiam Concilium etiam Tridentinum usurpavit, sess. 6, cap. 16.* In eaque in-

telligo duplicem misericordiam Dei in nostris bonis operibus commendari: una est, quod nobis donat ipsa opera, dando auxilia sufficientia et congrua ad illa præstanda; alia est, quod eadem opera vult esse merita nostra, atque istum sensum sumo ex Concilio Senonens., c. 16, et Concilio Moguntino, c. 8, quorum sententias in capite sequenti commodius referam. Deus autem non aliter voluit ut opera nostra essent etiam merita, nisi ordinando illa ad hoc vel illud præmium; ergo hæc ordinatio de facto intervenit in nostris meritis, et est distinctum beneficium a tota gratia, quæ ad efficienda talia opera nobis confertur, vel offertur.

9. *Secunda ratio.* — Secundo ostenditur hæc necessitas quasi a posteriori, quia in omnibus effectibus Dei et nostris, ut fieri possint, requiritur determinatio circumstantiarum in pondere ac mensura, ut sic dicam; sed in merito et præmio nostro non potest intelligi talis determinatio, sine prædicta ordinatione; ergo illa est necessaria. Major et consequentia notæ sunt. Minor probatur primo, ex dictis supra, cap. 15, de statu et tempore merendi; nam hæc non habent ex natura rei certam determinationem; ergo ut illam recipiant, divina lex seu ordinatio necessaria est, non enim superest aliud principium, a quo illam habere possint. Antecedens patet exemplis supra tractatis de Angelis, de hominibus in statu innocentiae, et evidentius de Elia et Enoch, si nunc non merentur, ut est probabilius, et in animabus separatis justis, et non videntibus Deum, et nihilominus non merentibus, etiamsi habeant opera libera æque bona, ac meliora quam in corpore, et de se habentia eandem habitudinem ad supernaturalem beatitudinem, et finem ultimum. Et specialiter in anima Christi Domini, quæ separata a corpore statim mereri cessavit, ut in 3 part., q. 19, ostendi, cum tamen, et in corpore haberet eandem visionem Dei, et extra corpus haberet eandem dignitatem gratiæ unionis, et eosdem actus liberos amoris Dei et proximi, quos in corpore habeat. In his ergo omnibus, et similibus quæ facile cogitari possunt, et in illis determinatio temporis, vel status merentis in corpore, vel extra corpus, vel in corpore mortali hujus vel illius conditionis, non potest ex sola rei natura fieri, ideoque ad ordinationem divinam necessario recurrendum est. Unde in eis etiam videmus separari rationem actualis meriti ab opere

habente eandem dignitatem ex parte bonitatis suæ et sanctitatis personæ, et eandem connexionem cum beatitudine, quæ est essentialis præmium, per naturalem habitudinem ad illam; quæ separatio, quamvis determinatione circumstantiarum oriri videatur, nihilominus nobis ostendit, divinam ordinationem esse necessariam ut opus bonum in ratione meritorii compleatur.

10. *Tertia ratio.* — *Vazquez, quæst. 114, circa litteram, art. 6.* — *Evasio obstruitur.*

— Item potest hæc necessitas declarari ex parte præmii, quia non semper est certum et determinatum ex sola rei natura; indiget ergo determinatione per legem extrinsecam Dei. Consequentia nota est ex dictis. Antecedens vero imprimis probatur evidenti exemplo Christi Domini, qui est exemplar omnium de DEO bene merentium, nam Christi opera, licet infiniti valoris essent ad meritum, non habuerunt certum, et determinatum præmium ex natura rei. Quod patet, quia, eo ipso quod erant infiniti valoris, non poterat illis respondere determinatum præmium, sed majus et majus in infinitum respondere potuisset; ergo oportuit certum præmium lege divina præfiniri. Deinde hinc factum est ut meruerit remissionem peccati hominibus, non Angelis, ut omnes etiam tradunt tertia parte, quæstion. 19, artic. quarto, et quæstion. octava, artic. quarto; id tamen referri non potest, nisi in divinam ordinationem. Dices CHRISTUM non meruisse pro dæmonibus, quia non obtulit pro illis opera sua, sed potius ab omni impetratione sua illos exclusit. Respondeo hanc esse optimam rationem proximam; primam autem, et radicalem esse ordinationem, ac voluntatem, quia non misit CHRISTUM in mundum, ut Angelos redimeret, sed homines, quia noluit Angelis peccantibus locum aut modum poenitentiae concedere, sicut concessit hominibus: quod licet habeat fundamentum in diversa conditione utriusque naturæ, ex divina voluntate simpliciter fuit dependens, et in re ipsa ostendit pendere ex ordinatione divina, quod idem opus sit vel non sit meritorium talis præmii. Idemque argumentum sumitur ex opinione, quæ negat Christum sanctis Angelis meruisse, quod licet de facto verum non putemus, fuit tamen possibile, et illo posito nihil sequitur impossibile, et nihilominus certissimum est fuisse in operibus CHRISTI sufficientiam ad merendam gratiam et gloriam Angelis; ergo ex divina ordinatione primario pendet, quod

illis de facto meruerit, vel non meruerit; ergo sine ordinatione determinante tale præmium, non est in operibus completa ratio meriti respectu illius. Deinde certum est fuisse in CHRISTI operibus valorem ad merendum hominibus intensiorem gratiam et gloriam, quam sit maxima, quæ de facto illis est conferenda, et nihilominus de facto non meruit illam, quod non est nisi quia de facto non est illi major gratia in præmium proposita per divinam ordinationem.

11. *Aliæ evasiones.* — Potest tamen ad hæc et similia responderi, hoc præmium meritorum Christi esse extrinsecum, et non habens eam connexionem cum beneficiis aliis conferendis, quam habent opera uniuscujusque justis cum ipsiusmet beatitudine, et ideo ex hac parte non esse similem rationem, juxta id, quod in principio notavimus. Unde etiam dici potest hanc determinationem præmii non fuisse ex divina ordinatione, sed intentione ipsiusmet Christi operantis, et per illam applicantis suum meritum ad tantum et tale præmium tali personæ conferendum. Sed neutra responsio enervat exemplum; nam contra priorem partem obstat, quod Christo ratione dignitatis personæ suæ tam intrinsecum et connaturale fuit posse mereri aliis, sicut unicuique aliorum est posse mereri sibi. Unde licet opera Christi non haberent eam habitudinem ad gratiam vel gloriam Angelorum et hominum, quam habent opera uniuscujusque hominis vel Angeli ad ipsiusmet beatitudinem, habebant nihilominus aliam habitudinem alterius rationis et ordinis, qualis est vel capitibus in membra, vel domini in servos, aut principis in subditos; nam Christo ratione unionis connaturale est esse caput, dominum ac principem cæterorum, et ideo opera ejus habent quasi connaturalem vim ad merendum aliis; ergo ex hac parte tale præmium non est extrinsecum, respectu talium operum, sed intrinsecam connexionem habet cum illis; ergo ex hac parte non deficit exemplum, sed eadem, vel major ratio in illa reperitur. Neque etiam altera pars evasionis infirmat exemplum, sed potius confirmat, quia si, ad merendum aliis, ultra totam dignitatem operis, tam ex bonitate ejus, quam ex sanctitate operantis desumptam, necessaria est intentio operantis, et suum meritum pro hoc, vel illo offerentis, quid mirum est, quod etiam requiratur intentio seu voluntas Dei ordinantis ex parte suâ